

riam rariusculam interjectam corpusculis incidentes, necessario per caput sub diversissimis angulis, partim reflexionis, partim refractionis transverberantur, vel transeunt, & quidem in partem Soli oppositam, ad atmosphæram, sive in materiam illam dilutiorem post Cometam latentem; in quâ materia nunc rariusculâ lumen Solis per Caput Cometæ transverberatum, ab ejusque nucleis reflexum, à materiâ verò aliquantò dilutiori refractum in plagâ soli oppositâ, in Atmosphærâ videlicet Cometicâ sistitur, *Cauda* effingitur.

§. X. Pro constitutione autem Capitis & materiâ adhærente, Caudæ variam induunt *speciem figurâque*, dissimiles exhibent: prout nimirum radii Solares per caput Cometæ trajecti, modò sic modò aliter, in adjacente dilutiori materiâ sese intersecant, atque decussantur; sic ut caudæ non sint, nisi *radii Solares refracti & reflexi*.

§. XI. Et hæ Cometarum Caudæ non adeo omnino strictè *omni tempore in plagam Soli contrariam protendantur*. Fieri quidem quandoque id potest, ut certò tempore eò directè vergant; verùm plerumque omnes ab istâ rectâ directionis lineâ, ex Sole per Centrum Capitis Cometicæ in ejus oppositum ductâ, deflectunt deviantque.

§. XII. Illa autem deviatio caudis obvenit ex diversissimâ illâ refractione & reflexione radiorum Solarium. (γ .)

(γ .) Vide Hebel. *Prodrom.* f. 56. 57.

§. XIII. Nam pro Capitis constitutione ejusque materiâ, modò talis, modò alia, major minorve, provenit Caudæ declinatio & deviatio; interdum etiam planè uniformis radiorum fit refractione, ut Cauda neutiquam deviet, sed *rectâ* in oppositum vergat Solis.

§. XIV. Quando verò Caudæ *incurvantur*, incurvatio tam convexa, quàm concava ex radiis Solaribus oritur ratione materiæ ac nucleorum Capitis, in quibus nunc alia atque alia datur reflexio & refractione (δ .) quod à peritis *Dioptrica scientia* facilè intelligitur.

(δ .) Videatur L. II. fol. 500. *Cometograph.* Hebel. & Ricciol. loc. cit. c. XXV.

§. XIX. f. 127.

§. XV. Deinde Caudæ etiam incurvantur *ex diversitate Atmosphære Cometicæ* ejusque materiæ dilutioris Cometam concomitantis.

§. XVI.